





1. Michaelis s. Joh. Georg. s. diff. de viro stante inter Myrtos, Halle 1739.
2. Moller s. Christoph Gottfr. s. diff. de genuina vocum xarakter et ypostasi notione, Lipsiæ 1738.
3. Mosheim s. Joh. Laur. s. diff. de jesu Christo vindice dogmatis de mortuorum ad vitam reditu, Helmst. 1740.
4. Müller s. Gottfr. Ern s. diff. de papolatia, Lipsiæ 1726.
5. Müller s. phil. s. diff. de jure Dei in Homines, jena 1701.
6. diff. de regno Israelis restaurato, do, jena 1704.
7. crocodilus lachrimans, jena 1733.
8. diff. de Jesu Christo Deandropo, jena 1704.
9. diff. de gloria mundi jena 1661.



3.
Q. D. R. V.
DISSERTATIONEM
DE

I V R E D E I I N H O M I N E S

A VENERANDO PARENTE SVO
I N A L M A S A L A N A

ANNO AERAE CHRISTIANAE M D C L X V I I
E L A B O R A T A M E T D I S Q U I S I T I O N I S O L E M N I E X P O S I T A M

P R A E S I D E

SVMME VENERANDO ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO

DN. PHILIPPO MÜLLERO

SS. THEOL. DOCTORE CELEBERRIMO
CONSIL. DVICAL. SAXON. ECCLES. ET CONSIST. PRAEPOS.
ET PRAELAT. AD B. VIRG. MAGDEBURG. NEC NON
I N A C A D . I E N E N S I P R O F E S S O R E P V B L I C O

DOMINO PATRONO SVO FILIALI AMORE PROSEQVENDO

DIE XXVI, FEBRVAR. M D C C I.

I N A V D I T O R I O M A I O R I

V E N T I L A T I O N I P V B L I C A E D E N V O S V B I E C I T

S A M V E L N i t t n e r , B e r o l i n e n s i s .

P H I L O S O P H . S T V D I O S V S .

RECUSA, A. 1732.

(6)



DISSEMINATION

I V A R R E D I T

IN HOMINIBUS

A V I R R A N D O P A R T I T S V O

IN ANIMA SACRA

IN ANIMA SACRA

IN ANIMA SACRA

IN ANIMA SACRA

DR. PHILIPPO MULLER

IN ANIMA SACRA

IN ANIMA SACRA

IN ANIMA SACRA

IN ANIMA SACRA

IN ANIMA SACRA

IN ANIMA SACRA

SAMUEL GIBBER

IN ANIMA SACRA

IN ANIMA SACRA





ΕΙΣΟΔΟΣ.



Vi Majestatem DEO tribuunt, non possunt non omnium mereri calculum; in primis si expendas, potestatem non qualemcunque, sed summam atque perfectissimam, ex sua virtutis plenitudine sibi subditorum rationes digerentem ista notione denotari. Nimirum quoties banc rerum Universitatem scrutamur, nullam deprehendimus dominii vim, quæ cum absolutissimo & illimitato Numinis nostri imperio comparari mereatur: a quo omnibus imperantibus data est potestas, quique adeo habet supereminens dominium in omnes & omnia, ut verbis, quibus ipse sacre Codex uti non dedignatus est, rem banc efferam. Hinc rectissime docent, qui banc mundi machinam velut ingentem aliquam rempublicam repræsentant, cui DEVS Optimus Maximus, tanquam summus gubernator & Monarcha, præsit. Hujus enim potestas quia incircumscripta & independens est, extendit præterea se ad omnia, sine quibus salus hujus reipublicæ haberi nequit, perpetua denique & irrevocabilis est, veræ παύσασιας naturam præfert.

A 2

præfert.

præfert. Quæ post illam dicitur majestas, non nisi in certo rerum ordine, dependenter & limitate nomen hoc possidet: si quidem plures in una re publica esse possunt magistratus, una vero tantum majestas. Unde potestas, quæ in his inferioribus majestatis titulo fulget, habito respectu ad supremum illud Numinis nostri dominium, subditus censenda est; sicut in dialecticis species intermedia si genus videas, est species, si speciem infra positam, genus. Vide in simili negotio his verbis utentem Hugonem Grotium lib. 1. de I. B. & P. cap. IV. §. 6. Quemadmodum autem alias summa imperantium potestas in certis consistit quasi partibus, quæ jura Majestatis vel Regalia dici consueverunt: ita nihil me a veritate alienum dicturum esse censeo, si DEVM etiam, quem heic loci ut supremum omnium Regem & Dominum spectamus, sua Majestatis jura habere asseram; si quidem aliud est jus DEI in Angelos, aliud Jus in homines, aliud in alias creaturas. In hoc vero, quantum ad præsens attinet, Angeli cum hominibus omnino conveniunt, quod DEVS ipsos æque ac hos tanquam suos, ex asse & in solidum totos possideat, iisque pro arbitrio suo liberrimo & sapientissimo uti, legibusque convenientibus illos obligare possit. Equidem quod Jus DEI in Angelos concernit, in eo virium mearum exilitatem periclitari hac vice non placet; quin potius quæ DEI in hominem potestas sit inquiram, & qua fieri potest brevitate exponam. Quod dum facere aggredior, ab eodem primo summoque omnium Rectore, Spiritus sancti adstantiam, a Lectore vero, sic ubi quædam minus accurate dicta fuerint, veniam efflagito.

Seçt.

Sect. I.

Vocabulum Juris ex titulo distinguitur §. 1. 2. Jus DEI in homines describitur §. 3. 4. Juris Dei in homines fontes aperiuntur §. 5. 6. 7. 8. objectioni Mosis Amyraldi satisficit §. 9. 10. 11. Diversitas Juris DEI in homines ab ejusdem potestate in creaturas irracionales proponitur §. 12. 13. 14. inque eo verti dicitur, quod DEVS homini naturæ legem implantaverit §. 15. 16. Et se ipsum utcumque homini vicissim obligaverit §. 17. 18. Per quam vero justitiam obligatio ista facta sit, dispicitur §. 19. Et in medio relinquitur §. 20. mens eorum, qui particularem etiam in Deo justitiam agnoscunt, exhibetur §. 21. sententia Aristotelis nostra conciliatur §. 22. aliud insuper dubium solvitur §. 23. Jus Dei in homines quodammodo geminum esse ostenditur §. 24. obiectum ejus paucis indigitatur Et ad subsequentem Sectionem apparatus instituitur. §. 25.

§. I.

Quid titulus disputationis hujus præ se ferat, non poterit adeo esse obscurum. Saltem cum vocabuli Juris aliqua sit ambiguitas, paucis illa sub initium statim erit removenda. Tres cum primis termini Juris acceptiones annotavit Grotius lib. I. de I. B. & Pac. cap. I. Primam quidem, qua jus, negante magis sensu quam agente, est illud quod injustum non est, hoc est, quod naturæ societatis ratione utentium non repugnat n. 3. Et ab hac prima significatione distinxit alias duas: secundum n. 4. qua jus est qualitas moralis personæ (uni pluribusve) competens ad aliquid juste habendum vel agendum: & tertiam n. 9. qua Jus idem valet quod lex largissime accepta pro regula actuum moralium obligante ad id quod rectum est.

§. 2. At vero qui leget, de jure quodam Majestatico divino h. e. certa summæ potestatis divinæ portione

sermonem fore nobis, facile æstimabit, illum vocabuli Juris significatum huc accommodari quodammodo debere, qui apud Grotium secundus, iuste aliquid agendi habendive potestatem designat, qua ratione Juris species duas ab Althufio Dicæolog. lib. 1. cap. 18. statui ostendit Samuel Mareſius disput. moral. de Justitia §. 23.

§. 3. Est ergo Jus DEI in homines nihil aliud quam facultas (liceat hoc termino uti) qua DEVS ab homine exigere eidemque imponere potest quicquid sanctitati suæ non repugnat. Cum qua sive definitione sive descriptione fortean convenire debet illa Voetiorum, Gisberti puta & Pauli, dispp. de Justitia DEI definitio, qua ius DEI dicunt *ideam rectitudinis & bonitatis DEI circa gubernationem creaturarum rationalium cum potestate in legem seu præcepta se diffundendi ac per ea creaturas dirigendi & obligandi.* Nec displicent illa Simonis Episcopi verba lib. IV. Instit. Theolog. cap. 28. Sect. 2. de DEO, cum jus DEI in homines in hoc verti dicit, *ut DEVS facere possit circa hominem id omne, quod se & perfectione naturæ suæ dignum est; & nihil facere aut omittere, quod se & perfectione naturæ suæ indignum est.*

§. 4. Atque ita sensum argumenti præsentis hætenus ex ipsis vocabulis petita restrictio aperuerunt. Sed quia de Iure DEI in homines omnis obscura est inquisitio, nisi prius constet, quibus illud nitatur statimibus, id mihi dari nunc operæ credo, ut rem omnem altius paulum & ex suis quasi fontibus arcessam. Spero enim rite jactis fundamentis, & facilem fore structuram & compendii oppido patientem.

§. 5. Habent quidem res creatæ omnes & singulæ id commune cum homine, quod æque ac ille a Deo tanquam a causa prima efficienter dependeant, verumtamen id peculiare est homini, quod intellectu & voluntate

tate præditus sit, ad quam perfectionem nulla aliarum creaturarum accedit. Et si sacras Pandectas adire liceret, aliam deprehenderemus hominis prærogativam, qua ad conditoris sui similitudinem efformatus, res creatas ceteras multis parasangis post se reliquit. Quantum enim imago Dei bonum fuerit, deploranda omnium mortalium conditio in hanc diem usque perorat.

§. 6. Neque vero his finibus stetit divina erga genus humanum bonitas, sed ulterius progressa est conservando quoque hominem, non saltim mediate atque remote, quatenus ipsi largitur dispositiones naturales ad sui conservationem necessarias, sed & proxime ac immediate, quatenus utraque immediatione suppositi & virtutis eum in sui conservatione attingit.

§. 7. Quin & porro ad omnes hominum actiones concurrere decrevit, adeo quidem, ut sine cooperatione DEI ne digitum quidem movere quisquam possit. Cui proinde influxui & animam homo debet & corpus. Illam quidem quia immaterialis est, & suapte natura produci petit independentem a subjecto, seu ex nihilo. Productio autem ex nihilo uti virtutem requirit infinitam, ita in nullam cadit causam secundam, sed solius DEI propria est. Corpus vero, quia tanta membrorum varietas, tamque mirabilis illorum nexus & structura non videntur produci posse, nisi cooperante & simul agente quodam eminentiori, quod non generaliter solum & ut causa universalis, sed specialius quoque & per modum causæ particularis cum semine ejusque virtute *πλασική*, quæcunque tandem illa sit, concurrat illiusque defectum suppleat.

§. 8. Atque ita ab omnimoda hominum a divino Numine dependentia eique annexis beneficiis, quæ Deus non larg a tantum manu humano generi obtulit, sed munificen-

nificentissima in illud cumulavit, Ius DEI in homines derivamus. Quo ipso divortium facimus ab iis, qui Ius De in homines simpliciter & solum ex præ eminentia DEI arcessere conantur. Multi enim in mundo præcellunt aliis robore, sapientia, auctoritate, qui tamen in illos nihil juris sibi vendicant. Sua Imperatori Romano tribui solet *ὑπεροχῆ* inter Principes Europæ, in quos tamen omnes potestatem sibi non arrogat.

§. 9. Huic sententiæ nostræ litem movere conatur Moses Amyraldus Professor Salmuriensis dissert. theol. de Iure DEI in creat. cui, antequam provehamur ulterius, vel verbulo dubium illud, quod de Creationis beneficio urget, erit eximendum. Putat autem ille, non eam esse beneficiorum vim, ut conferenti ius in accipientem largiantur: quemadmodum liberi quæcunque etiam beneficia in parentes conferant, nunquam tamen potestatis vel tantillam particulam in eos acquirant: neque subditorum tanta sint vel esse possint in Regem beneficia, quibus Reges sibi suos obstringere valeant.

§. 10. Verum enim vero si vel maxime ipsimet ambabus, quod ajunt, largiamur manibus, non omnibus in univ ersum beneficiis tale privilegium esse additum, nemo tamen inficias ibit, id saltem divinis competere posse. Nam beneficia, quæ quis alias solet conferre in alterum, non involvunt semper talem rationem dependentiæ, ut is, qui beneficium accepit, esse non possit, si ad momentum beneficentiam benefactor ille suspendat. At creaturæ, & speciatim homines ita a beneficio creationis, conservationis & concursus divini dependent, ut si DEVS influxum suum, quo ipsis communicat esse, subtraheret, confestim in nihilum omnes redigerentur, ceu ex illis, quæ superius adducta fuerunt, evidenter liquet.

§. 11. Hinc parata etiam est responsio ad instantiam, quam

quam laudatus Amyraldus pro se adduxit. Scilicet quam tanta sint & Parentum erga liberos, & Regum erga subditos benefacta, ut nulla re ab his compensari possint; nihilominus tamen subditi & liberi officiorum, quæ ab ipsis proficiscuntur, genere, id sibi comparare videntur, ut parentes & Reges vehementius eos ament, studiosiusque foveant quam alios, a quibus ejusmodi officiis affecti non fuere.

§. 12. Ut ergo e diverticulo in viam redeamus, & rationem juris DEI in hominem per comparisonem ad alias creaturas paulo distinctius cognoscamus, observasse juvabit, quod in his inferioribus aliter se habeat jus nostrum ad res, quæ nostræ sunt, quam ad personas, quæ nobis subjiciuntur. Res enim nostræ nec juris nec injuriæ sunt capaces, adeoque inter ipsas & earum dominos nullum est mutuum juris vinculum, quo sibi reciproce obligentur. Nec enim quicumque homo debet suæ arbori vel suo equo, quod ex ordine justitiæ ac nisi injurius esse velit, illi præstare teneatur: ita nec proprietario quicumque debet sua arbor, vel suus equus. Secus vero se res habet inter Dominum & Servum. Hic enim, tam etsi jure civili rebus Domini sui accenseatur, nec habeat personam standi in judicio, naturaliter tamen capax est juris & injuriæ active & passive, atque adeo jus quod Domino in illum competit, dubio procul aliquam obligationem æquitatis & justitiæ habet.

§. 13. Eadem ratione certum est, aliter prorsus se habere jus DEI ad creaturas racionales, & speciatim homines (de Angelis enim jam non est cur simus solliciti) quam ad eas quæ ratione & intellectu carent. Hæ enim eo ipso, quod cognitione intellectus & libertate voluntaris destituntur, proprie & sub peccato obligari non possunt. Et quamvis in brutis etiam radius aliquis æternæ legis repe-

B

riatur,

riatur, ille tamen nihil aliud esse poterit, quam naturalis impetus & instinctus, juxta quem in fines sibi præordinatos a DEO feruntur. Quemadmodum in Republica civili lege teneri dicimus subditos, postquam princeps lege lata subditorum mentibus regulam impressit, quæ penes subditos est directivum agendi principium: ita creaturæ etiam brutæ lege obstringi dicuntur, postquam hujus universi Rector illis quoque actuum suorum principia cum ipsa productione impressit, a quibus nulla temeritate abire possunt. Ex quibus colligitur, brutorum obsequium nihil aliud esse, quam naturalem quandam necessitatem, quæ proinde sola DEI potentia regi dicenda sunt.

§. 14. Sed dispar omnino est hominum ratio. Neque enim iis DEVS naturalem tantum instinctum & inclinationem ad id quod sibi conforme est, prima ab origine indidit, (quem instinctum in homine referunt semina virtutum & igniculi illi, qui assuefactione tanquam stabello fuscitari ita possunt, ut ingens virtutum flamma hinc prorumpat) sed instinctui huic cognitionem quoque eorum, quæ sibi conformia aut difformia sunt, superaddidit, nec non liberum vel hæc vel ista agendi arbitrium. Quo ipso ita eos condidit, ut natura & conditione sua sint juris & injuriæ capaces, adeoque tales a quibus ipsemet offendi possit ac injuria affici, per eorum peccatum, aut sibi debitum cultum & honorem per eorum obedientiam consequi.

§. 15. Quamobrem res ipsa postulabat, certas leges proponi hominibus, quæ illos in officio continerent, & vel pœnam, si legibus stare detrectavissent, vel præmia, si morem gessissent, iis denunciarent. Nimirum sicut non potuit abdicare Deus dominium & consequenter regimen suarum creaturarum, quamdiu existunt, sic enim illæ fierent independentes, & ipse seipsum, quod prorsus absurdum est, quadantenus abnegaret; ita non potest eas aliter regere,

re, quam convenienter illi ipsi naturæ, quam iis dedit, & cujus auctor est. Homines vero ceu creaturas rationales non aliter posse regi quam certis legibus, quibus ultro pareant, in propatulo est, quandoquidem sunt, ut agant non præcise ex naturæ impetu, sed ex certa proæresi. Adscribi merentur verba Lambertia Velthuyfen Tract. de Iustit. divina & hum. p. 82. *non quærendum quid DEVS sibi proposuerit cum legem homini tulit? aut quomodo crudelitatis notam effugere possit, quod legem dederit, in quam si quis semel peccat reus constituitur mortis --- Hæc enim naturali necessitate sequuntur constitutionem naturæ humanæ.*

§. 16. Inscripfit ergo Deus menti hominis universam legem naturæ, cujus insigniora capita (sicut sacræ nos docent paginæ) postea, nè quis vel umbram ignorantia possit prætere, solennissime repetivit, ac tabulis lapideis insculpta Mosi tradidit, a quo ad nos etiam devenerunt, & ad extremum usque hujus orbis terminum durabunt. Decalogum intelligo, cujus duæ sunt tabulæ, quarum una officii nostri erga Deum, altera ejusdem in proximum nos admonet. Vtraque tersissimum quoddam speculum est, quod omnes nostros defectus, modo inspicere velimus, nobis exhibet, & de emendandis illis sedulo nos monet.

§. 17. Quamobrem sicut neminem hominum reperire licet, qui ab hac lege Dei fuerit exemptus, ita nihil video obstare, quin & altera parte commune quoddam juris vinculum inter Deum & hominem concipiamus, quo Deus homini ad imaginem & similitudinem suam efformato vicissim quodammodo obligetur: quod quidem quo ratio Juris Dei in hominem eo clarius intelligatur, & a potestate Dei in creaturas irracionales secernatur, paucis erit declarandum.

§. 18. Nimirum sic sentio: sicut necesse est, ut Deus, quoties homo imperata obedienter facere detrectat, & in

devia quævis prolabitur, scelera ulciscatur, nec impunita dimittat; ita, quamdiu homo a legibus sibi latis non deflexit, potestatem non habet ullum malorum genus ipsi infligendi. Quo non obstante jus Dei in homines nihilominus illimitatum esse dici potest. Sicut enim per hoc, quod Deus non potest præstare ea, quæ contradictionem involvunt, omnipotentia divina non detrahitur: ita Iuri Dei in homines inde nulli ponuntur limites, quando contra obligationem suam agere eum posse negatur.

§. 19. Per quam vero justitiam Deus hunc in modum homini quasi obstringatur, an per Iustitiam universalem tantum, an vero per particularem quoque, distributivam puta & commutativam, id sane absque formidine oppositi determinare nimium quantum videtur esse difficile. Sunt qui Deo justitiam commutativam & distributivam exerte tribuunt. Vt enim taceam Franciscum Svarezium in opusc. disp. de Iustit. p. 625. unus instar omnium esse poterit Episcopus loc. sup. cit. cap. 29. cujus verba prolixiora sunt quam ut hic debeant recitari. Diversum vero sentiunt Thomas parte I. qu. 21. art. I. Vasquez. Tom. I. in I. Thom. disp. 85. cap. 2. qui pro sua sententia adducit Alexandrum Alensem, Scotum, Richardum, Durandum, Paludanum, Capreolum, Ferrariensem aliosque, subsequenti etiam cap. 4. & seqq. prolixè suam probat opinionem. Et hanc sententiam ex nostratibus quoque Philosophis & Theologis, quos mihi videre contigit, non pauci sequuntur.

§. 20. Ego hanc controversiam dirimere nunc non teneor, cum mihi sufficiat, si Deum ex justitia sua universali homini obstrictum esse saltem obtinero. Etenim Deus a nemine constringi legibus possit, cum sit *παντοκράτωρ*, est tamen in Deo lex æterna, hoc est, ratio, juxta quam hoc universum gubernat. Huic contravenire Deus nec vult, nec potest. Ageret enim alias contra seipsum, cum lex æterna
Deus

Deus ipse & Deus ipse sibi lex sit. Etsi quoque virtutes morales, quatenus sunt habitus acquisiti in medio rationis positi, & prudentiæ, quæ ab experientia pendet, subjecti, Deo formaliter non insunt, uti nec virtutes Theologicæ, fides & Spes (caritatem nonnulli excipiunt) insunt tamen Deo eminenter, quia perfectionem voluntatis, etsi cum imperfectione denotant.

§. 21. Quanquam si mens eorum, qui Iustitiam particularem Deo tribuunt, recte explicetur, nihil causæ videam, cur hanc opinionem tantopere formidemus. Suum sane Deus cuique tribuit, & juxta meritum præmia vel pœnas dispensat. Verum quidem est, quidquid sumus & habemus id omne Dei, nihil nostrum esse. Sed ex gratuito promisso debitor noster est. Dum ergo stat promissis, justus est Deus, atque hæc Iustitia promissionum dicitur. Nihil nunc dicam de altera illa Iustitia, quæ gratiæ vel imputata dicitur, & ad cathedram Theologicam pertinet. Saltem inde huic sententiæ aliqua lux affundetur, quod Deus in irrogandis quoque suppliciis justus sit. Æternis quidem pœnis peccata intra exiguum tempus commissa severe vindicat, sed voluntas hominum nunquam a peccato desistere volentium, & infinitam Dei Majestatem offendentium, justissime sic punitur, quæ Dei justitia vindicativa dicitur. Silentio quoque involvam Iustitiam Factorum, quæ veritatem hujus sententiæ impense auget. Videri de ea possunt Plur. Reverendi & Excellentissimi Dn. D. Ioachimi Hildebrandi Institutiones sacræ disp. Theol. quarta §. 49. Ego enim, sicut jam tum supra insinuavi, hanc controversiam hic meam non facio.

§. 22. Atque ita DEVS per justitiam suam, quæcunque demum illa sit, hominibus vicissim obligari dicendus est. Neque fraudi mihi poterit esse Aristoteles, cum obligationem proprie dictam nonnisi inter æquales obtinere asserit

rit, ac proinde inter Dominum & servum, Patrem & liberos, maritum & uxorem verum jus intercedere negat. Nam præterquam quod de jure politico ipse loquitur, notum est ex sententia magnorum Virorum, definitiones morales Aristotelis saltem *ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ* valere. Quicquid fit, illud mihi omnino concedi debet, ea ratione inter Deum & hominem jus intercedere posse, qua amicitia inter Deum & hominem locum invenit: cum ex sententia ipsius Aristotelis perpetuum sit: ubi amicitia, ibi jus, quæ si *ἐν πλάτει* tantum Deo & homini convenire statuas, verbis supra a me allatis non contradices.

§. 23. Neque est cur hanc obligationem summæ libertati divinæ adversari metuas. Non enim absolute propterea Deus necessitatur ad extra, sed tantum ex hypothese, suppositis nimirum objectis, circa quæ tum ex eorum natura & conditione, quam talem voluit esse, tum ex sua sanctitate, Iustitia & immutabilitate sic agere tenetur. Quam necessitatem Deo non repugnare vel inde patet, quod postquam decreverat creare hominem, non poterat non eum creare animal rationale, ad imaginem suam & præditum sapientia, justitia & sanctitate originali, iisque instructum viribus, per quas stare posset in ea justitia, & sic assequi supremam felicitatem, quam ceu finem ultimum anhelat. Et sane, si certum est, Deum obligari erga homines per suam fidem, veracitatem, constantiam, ex hypothese suarum promissionum, quod agnoscit Grotius lib. II. de I. B. & Pac. cap. II. §. 4. cum intrepide asserit, *Deum, quod nulla lege obstringi possit, contra naturam suam facturum, nisi promissa præstaret*: quid causæ erit, quo minus erga eosdem obligetur per suam essentialem sanctitatem & justitiam, ex hypothese, quod tales eos velit existere?

§. 24. Satis diu nos detinuit obligationis, quæ Deum inter hominem habetur, explicatio. Ex quibus ita declaratis

ratis id suo alveo fluere existimo, jus Dei in homines duplex quasi constituendum esse. Unum dominicum, alterum judiciale. Quæ quid importent, vel ipsæ voces loquuntur. Illius respectu Deus simpliciter ut Dominus creaturarum rationalium consideratur. Hujus vero intuitu ut supremus Judex & Magistratus, qui boni publici Rector est & administrator, qui legum a se latarum custodem se profitetur, spectatur. Confirmo rem verbis Dominici a Soto lib. 2. de I. & I. quæst. 3. art. 8. *Potestas, ait ille, quam Deus in universum orbem obrinet, duplex est, quarum altera ei competit jure creationis, quo est Dominus non solum bonorum externorum omnium, verum etiam corporum, adroque ipsius vitæ humanæ, quam in nihilum potest redigere; altera vero gaudet ut legislator, adeoque universalis omnium Judex.* Eadem distinctione non semel utitur Franciscus Turretinus in insigni de Satisfactione Christi tractatu. Vid. disp. I. §. 25. disp. II. §. II. & alibi.

§. 25. Cæterum, cum homo duabus constet partibus, corpore nimirum & anima, recte jam viderer facere, si potestatem divinam in hominum tam corpora, quam animas earumque facultates singulas, tum etiam in ipsa bona hominum externa describerem. Sed cum vel instituti vel virium mearum nunc non sit, prolixum de hac materia tractatum exhibere, paucarum controversiarum enodatione, quam subsequens Sectio sibi vendicabit, in præfens ero contentus, reliqua ulteriori ætati & judicio reservaturus.

Sect. II.

Controversiæ nonnullæ ventilantur. I. An Deus ex Jure Domini sui hominem quemcunque possit vita privare? Cujus affirmativa paucis adstruitur, testimoniisque confirmatur §. 1. 2. II. An Deus de Jure puniendi sones possit concedere, & peccatum sine satisfactione condonare? Cujus usus ostenditur §. 3. Status quæstionis recte formatur §. 4. vera sententia exponitur §. 5. & consolidatur

tur §. 6. 7. Exceptio aliqua adversariorum diluitur §. 8. quidve nobis porro saveat, indicatur §. 9. contrarie partis argumenta recensentur §. 10. 11. 12. ad quæ respondetur §. 13. 14. 15. 16. 17. III. An Deus hominem innocentem æternis cruciatibus affligere possit? Ubi primum adversariorum sententia exhibetur §. 18. 19. ex Molinæo crudelitatis arguitur §. 20. Quis innocentis nomine hic veniat innuitur §. 21. distinctio aliqua præmittitur §. 22. Adversariorum sententia absurditatis convincitur §. 23. Exceptio Amyraldi proponitur §. 24. & solvitur §. 25. 26. aliud argumentum diluitur §. 27. & distinctione tota controversia clauditur §. 28. IV. An Deo competat potestas leges juri naturæ contrarias homini imperare? Negativa eligitur §. 29. contraria sententia exhibetur §. 29. 30. 31. 32. & refutatur §. 33. 34. 35. 36. vera sententia pluribus illustratur §. 37. 38. Szydlovio denique respondetur §. 39. 40. V. An Deus innocentem pro fonte possit substituere, & penas huic debitas illi irrogare? Ubi de substitutione in infligendis penis apud homines recepta aliqua præmittuntur lineæ §. 41. 42. Dubia circa præsentem questionem proponuntur §. 43. vera sententia declaratur §. 44. allata dubia remouentur §. 45. 46. 47. adhuc alia objectio diluitur §. 48. 49. 50. VI. Quo jure Deus impurare possit peccatum Protoplastorum omnibus posteris. Questionis sublimitas indicatur §. 51. communis nostratium sententia proponitur §. 52. Dn. D. Petrus Musæus laudatur §. 53. 54. 55. 56. VII. An Deus hominem obligare possit ad impossibilia? Ad quam per distinctionem respondetur §. 57. 58. vera sententia per exempla confirmatur §. 59. 60. 61. denique toti disputationi Coronis imponitur §. 62.

§. I.

Lustravi hætenus quæ Iuris DEI in homines naturam in genere quasi concernunt. Instituti ratio exigit, ut controversias nonnullas, quæ ad majorem hujus materiæ dilucidationem facere videntur, candido lectori sistam. Cum autem a facilioribus ad difficiliora plerumque progressus institui soleat, primum omnium dispicere placuit: an Deus ex Iure universalis sui domini hominem quem-

cun-

cunque vita privare possit? Circa quam quæstionem tanto citius me expedire potero, quo insigniores viri sunt, qui affirmativæ ejus suum calculum adjiciunt. Fac enim Deum vitam, immo quicquid ad *τὸ εἶναι* pertinet, creaturæ rationali adimere, nihil aliud auferet ei quam sua beneficia, quæ repetere liberum ipsi esse, nescio an quisquam ullo colore inficiari possit. *Sane in cujus potestate ac arbitrio fuit hominem creare & producere, quare non erit in ejusdem arbitrio eundem tollere. Figulo id licet in sua fictilia, fabro in sua ferramenta; statuarius in suas statuas, cur non Deo immortalis, justissimo & benignissimo omnium eorum qui sunt, qui fuerunt, qui erunt? verba sunt Nobiliss. Eichelii in aureo tractatu de jure quo naturaliter liberi & parentes sibi invicem sunt obstricti part. post. §. 15.*

§. 2. Illustre hujus domini eminentis vestigium deprehendere sibi non infimi subfellii Theologi & Philosophi videntur in exemplo Abrahami, jussu divino filium tanquam hostiam immolaturi, cui proinde sententiæ, cum nostrarum fere omnes adstipulentur, non erit necessum proluxa testimonia, quæ abunde suppetunt, coacervare. Nisi enim Deus esset Dominus vitæ & necis, vix potuisse, dicunt, eum Abrahamo filium innocentem occidendum mandare. *Abraham vero oblatione sui Isaaci non magis incurrisset in homicidii crimen, quam carnifex fontem jussu Magistratus capite plectens, verissime loquitur celeberrimus Conringius disp. de Jure §. XLIV. Quamquam, ut peracute Thomas (momente Soto citato in fine superioris sectionis loco) addit, Deus non solum tanquam Dominus, verum etiam tanquam ludeus innocentem a culpa actuali ob solam Adami prævaricationem in omnes posteros suos propagatam, occidi jubere potest. An vero ex hac potestate divina recte concludat Amyraldus, posse Deum etiam creaturam innocentem æternis cruciatibus affligere, paulo inferius commodior erit dispi-*

C

ciendi

ciendi locus. Ego ad alia, quæ ulterioris indaginis sunt, properare malo, quam huic negotio diutius immorari.

§. 3. Secundam quod concernit quæstionem, nimirum an Deus de Jure puniendi homines fontes possit concedere, ita ut peccata impunita dimittat, & absque satisfactione condonet? illi paulo solertiori opera erit incumbendum. Quam enim gravis ea & momentosa sit, neminem, scio, latebit, qui inaudiverit, quid infelix Sociniano-rum turba, cui nihil christiani restat præter nudum nomen, magno molimine hic tentent. Illi siquidem, quemadmodum veteres & pridem explosas hæreses ad inferis reducere, ita eo etiam insaniam progrediuntur, ut satisfactionis Christi necessitatem & veritatem exerte negent. Patrocinium causæ suæ petere gestiunt ex præsentis doctrina de Jure Dei puniendi peccata hominum, quæ impune illum & sine satisfactione condonare posse totis viribus adstruere laborant. Quanquam vero tantum mihi in præsens non sumam, ut, quæ ex cathedra Theologica circa hanc rem doceri debent, huc transcribam & ad ventilandum proponam: vel etiam an Remonstrantes, cum Socinianis hic in eodem luto hæreant, inquiram, (quod Leidenses in censura sua, Festus Hommius in specimine, & Bodecherus in Sociniano-Remonstrantismo tribuunt Arminianis) medium tamen decidendi hanc controversiam huic loco institutoque proprium esse sine tergiversatione pronuntio.

§. 4. Quod ergo statum quæstionis attinet, non quaeritur, an peccata pœnam apud Deum mereantur & punibilia sint? siquidem utrinque in confesso est, peccatum omne natura sua esse pœna dignum, sed de eo controvertitur, an, ut peccata punibilia sunt, ita debeat Deus necessario & velit actu punire semper ex Justitia & Jure puniendi? Nec disceptatur, an peccata quædam actu puniat vel punire debeat? Agnoscunt enim adversarii, Deum non posse
non

non punire peccata contumacium; sed an omnia omnino ita puniat, ut nullum inultum abire patiatur? Hinc neque id proprie vocatur in controversiam, An Deus secundum suam Potentiam absolutam (quanquam & de ea forte res in expedito sit) peccata hominum remittere possit absque satisfactione? Neque enim iis annumerari velim, qui limites omnipotentiae Dei statuunt, meumque non est nunc exacte definire, quousque infinita illa & ἀνυπερθυνας, quam in homines obtinet, potestas extendatur. Sed quaestio est de potentia ordinata, secundum quam non tantum potest agere, sed agere vult & agit in ulciscendis mortalium criminibus. Vnde jam facilis emergit quaestionis status: An scilicet Deo nobiscum ex Jure virtutibus temperato agente, nullum peccatum impunitum dimitti possit, atque adeo satisfactio necessaria sit?

§ 5. Juratos hic habemus hostes Neo-Photinianos, nominatim Socinum lib. 1. de Serv. c. 1. Ostorodum, Smalzum, Crellium, Volkeliū & ejus furfuris alios, qui jus puniendi peccata in Deo ita comparatum esse autumant, ut Deus pro lubitu peccata remittere possit, ut ut vel maxime ipsi non fuerit satisfactum; vel ut Pl. Reuer. Dn. D. Hieronymus Kronmayer in Theologia Positivo-Polemica non ita pridem in lucem edita p. m. 139. loquitur, qui peccatorum remissionem liberalem, hoc est, quae fiat absque satisfactione, nec non acceptilationem, qua Deus accipiat quid pro quo, imperfectam obedientiam pro perfecta, ut creditor aliquis ab exhausto debitore decem pro centum accipit, statuere non verentur. His vero mascule se opponunt nostrates hodie, asserentes, Jus vindicandi scelera ita concipiendum esse in Deo, ut nisi satisfactio subsequatur, nulla peccantibus divinae gratiae spes affulgere possit.

§. 6. Quod ut obtineam, ex ipsa natura Dei talem demonstrationem conficio: Si Deus natura justus est, si perfe-



de odit & averfatur peccatum ut fanctitati & juftitiæ fuæ e diametro repugnans, utique Deus de jure puniendi peccata non poteft remittere & scelera hominum fine fatisfactione condonare. Prius illud certiffimum eft. Negari enim non poteft, juftitiam eſſe de conceptu eſſentiali divinitatis, fi quidem repugnat omnino, imo blaſphemum eſt concipere Numen quod fit injuſtum, ſicut etiam Scripturæ dictis ſatis ſuperque probare poſſem, niſi extra forum faltare mihi eſſet religioni. Poſita ergo ſemel hac juſtitia in Deo, neceſſario ſequitur, pœnam ex ea peccato deberi, cum omnino requiratur, ut, quemadmodum ex ejus præſcripto bonis bene debet eſſe, ita & malis ſit male.

¶ §. 7. Sed & luculenter theſin meam confirmavero, ſi habitudinem & reſpectum Dei ad homines fontes paulo penitius attendero. Ad hos enim refertur non ut Herus ſimpliciter, multo minus ut æqualis, ſed ut judex, atque adeo ut ſummus ipſorum magiſtratus. Suppono ſiquidem quod pœna affigere, aut a pœnis aliquem liberare poſſe non ſit niſi Magiſtratus qua talis primo & per ſe, ut puta in Regno Regis, in Vniverſo Dei. Cum ergo Deo ſupremum judici-um in creaturas competat, non poteſt non obire Magiſtratus partes, niſi dominio quoque ſuo ſe abdicare velit, quod non abſurdum ſolum, ſed & plane *ἀδύνατον* eſt. Itaque quam neceſſe eſt Rectorem & Principem inter homines bonas & æquas leges ferre, & latorum cuſtodem ſe præbere vel præmia obedientibus largiendo, vel pœnas tranſgreſſoribus irrogando; tam quoque & multo magis neceſſe eſt, Deum ſupremum mundi Rectorem & Iudicem ſcelera hominum ulciſci, nec impunita atque ſine ſatisfactione dimittere.

¶ §. 8. Hinc proſus futile & falſum eſt, quod excipiunt adverſarii, Deum ſe habere ut partem offenſam tantum in hoc negotio; partem autem offenſam eſſe pœnæ creditricem atque adeo Deum ea in re habere jus, quale alii creditores

tores in rebus a se creditis habent, ut vel exigere possit vel remittere pro lubitu. Falsum, inquam, est, punitionem, de qua hic quaestio est, esse actum competentem parti offensae qua tali, quia alioquin oporteret omni parti offensae competere per se Ius puniendi, quod vanum esse ex eo apparet, quia punire est actus τῆς ὑπεροχῆς, nec competit nisi magistratui. Laesi quidem iure naturali & ordinarie jus habent postulandi restitutionem & damni compensationem: potestatem autem cogendi, atq; adeo constituendi & sumendi poenam qua tales non habent. Nam qui alium cogit ut restituat ablatum, eo ipse se se superiorem constituit, & regulas juris exsequitur; quod non facit qua laesus, sed qua potestate quadam Rectorali sive ordinaria sive extraordinaria instructus. Si ergo Deus punit vel poenam tollit ut Iudex, non facit hoc ut pars offensa. Interim non nego, Deum qui peccata punit vel peccatoribus ea condonat, recte dici partem offensam, quia is offenditur primo & per se: sed punire aut impunitum dimittere ei, qua pars offensa est, competere inficior. Punit quidem homines quia laesus est, sed non qua laesus est. Quod autem Ius puniendi in Magistratu formaliter idem quod Ius crediti sit, quo colliman adversarii, id prorsus rejiculum est. Nam jus crediti comparatum est ejus gratia, qui illud obtinet; at jus puniendi non illius, qui punit proprie causa existit, sed causa totius communitatis, & quoniam delicta publice puniri interest (poena enim omnis propositum habet commune bonum) in ordinis nimirum conservationem & exemplum.

§. 9. Et his jam manifestum est, justitiam vindicatricem non esse actum liberum & arbitrarium qui a sola Dei voluntate pendeat, sed proprietatem essentialem, ad cuius exercitium voluntas, posito peccato, necessario impellitur. Atque adeo Ius puniendi peccata, cum Iustitiae

vindicatrici intime immersum sit, non potest ita remitti, ut ullum peccatum Deus sine satisfactione condonet. Possem hanc rem ulterius pulchris veterum testimoniis comprobare, vel etiam factis ipsorummet gentilium quorundam, qui non aliam ob causam tot *ἱλασθῆναι*, tot victimas piaculares, lustrationes & februationes, tot provocationes adornarunt, (quin pœnam etiam pro Dea coluerunt, quod Aſyriis; & Nemefin ac *Δίκην* pœnis sceleribus infligendis destinarunt, quod Græcis in usu fuit) quam ut generosam suam de Iure Dei puniendi peccata opinionem contestarentur. Sed quoniam mihi nunc non sedet, prolixitati litare, aliis qui de Iustitia divina ex professo disputationes instituunt, hanc operam relinquo. Aristotelis effata huc facientia collegit Plurimum Reverendus atque Excellentissimus Dn. D. Cellarius, Præceptor, Patronus ac Hospes meus, dum Illustri Iulia fruerer, ut benignissimus, ita nunquam non pie colendus in Theol. Nat. disp. IX. §. XXV. & seqq. Videri quoque poterit Franciscus Turretinus Tract. sup. cit. disp. II. qui mihi circa hac secundam controversiam facem insigniter prætulit.

§. 10. Restat, ut argumenta adversariorum in contrarium adduci solita, sub examinis incudem vocentur. Cum autem ea ingenti numero ab ipsis conglomerentur, omnia hic lustrare non proderit. Insignioribus ergo selectis hincque solutis reliqua in ipso conflictu, si opus fuerit, examinabo. Primum ergo perniciosam istum errorem sic incrustare conantur: Si Deus non posset de Iure puniendi homines concedere, ita ut ullum peccatum absque satisfactione dimittat, sequeretur, Iustitiam vindicatricem Deo esse essentialem. Sed consequens est absurdum. Ergo & antecedens. Consequentis absurditatem probant I. quia quod Deo est essentialis, necessarium est & non potest non esse. At iustitia ista potuit non esse, puta si creatura peccatrix

trix nulla fuisset. Ergo. 2. quia hoc pacto in Deo ponerentur duo contraria, nempe misericordia, cujus est salvare, & Iustitia, cujus est destruere & perdere.

§. II. Deinde ita solent ratiocinari: Si Deus non posset de Iure puniendi peccata remittere aliquid, sequeretur eum deterioris conditionis esse quam homines. Sed consequens est absurdum. Ergo & antecedens. Consequentiam probant, quia hominibus licet aliorum offensas libere & sine satisfactione condonare, imo non tantum possunt hoc homines, sed debent quoque ex officio: multo magis ergo id competet Deo tanquam supremo Domino omnium creaturarum. Principes sane in his terris non tantum suas sed & publicas in Rempubl. injurias cum singulari clementiæ laude condonare possunt. Ergo & Deo Regi Regum id denegari non debet, atque eo minus, quod illi tutores sint & boni publici administri potius quam Domini, Deus autem supremus rerum arbiter propter unam sui gloriam omnia operetur.

§. 12. Porro hanc etiam rationem proferunt: si DEVS non potest remittere peccata mortalium adeoque de Iure suo puniendi concedere, id inde fit, vel quia non potest per potentiam, vel per Iustitiam. At neutrum recte dicitur. Non per potentiam: quia si non posset, tum peccatum condonari, sive non puniri, erit simpliciter impossibile, & propositio hæc: peccatum non punitur constabit ex terminis contradictoriis. Non etiam per Iustitiam: quia si Deus posset aliquid per potentiam, & non posset idem per Iustitiam, sequeretur Deum aliquid posse quod sit injustum, hoc vero implicat.

§. 13. Hi sunt isti arietes, quibus veritatem pulsant pessima Socinianorum ingenia. Quam vero bene fabricati illi sint, & quomodo succedat opus, nunc, quantum permittet ætatis imbecillitas, rimabor. Ad primum ergo argumen-
tum

tum resp[ect]u consequens absurdum non esse, sed longe veris-
simum, sicut vel ex superioribus constat. Neque allatæ ra-
tiones quicquam proficiunt. In prima enim falsum est, Iu-
stitiam illam Dei potuisse aliquando non esse. Vix enim
concipi, nedum esse Deus potest, nisi justus & sanctus.
Quod vero additur, si nulla creatura fuisset, nec Dei iusti-
tiam aliquam fore, id immane quantum a sana ratione alie-
num est. Distingvenda enim est Iustitia Dei ab ejus exerci-
tio & effectis, quæ per metalepsin sæpe Iustitiæ nomen for-
tiuntur: sive actus primus ab actu secundo. Sane si nulla
fuisset creatura peccatrix, nullum, fateor, datum fuisset Iu-
stitiæ exercitium vel operatio ad extra, quippe quæ requi-
rit præsentiam objecti tali modo constituti: nihilominus
tamen semper in Deo fuisset ipsa Iustitia radicaliter & quo-
ad actum primum. Et si vel maxime nulla futura fuisset cre-
atura peccatrix, non desisset tamen hæc propositio esse ve-
ra: Dei natura ita sancta est & justa, ut non possit videre,
multo minus ferre malum. Nam ab æterno Deus sanctissi-
mus fuit & justissimus, cum nondum daretur peccatum,
quemadmodum fuit misericors & clemens ut nulla fue-
rit creatura misera. Quare sicut si Deus nihil condidisset,
non desisset per hoc ejus omnipotentia, ita essentialis quo-
que Iustitia Dei, quamvis nulla extitisset creatura pecca-
trix, salva mansisset & intemerata.

§. 14. Ratio altera pro confirmatione primi argumenti
adducta itidem nihil habet in recessu. Distingue enim Iu-
stitiam & misericordiam a suis effectis, siquidem Iustitia &
misericordia a parte rei sunt una eademque Dei essentia,
quæ secundum objecta & effecta diversa distingvitur, non
in se, sed respectu nostri, diciturque misericordia cum li-
berat miseròs, Iustitia cum judicat reos. Et quamvis alias
contrariorum contrarii sint effectus, non tamen vice versa
contrarietas effectuum semper arguit contrarias causas,
cum

cum sæpenuero ex iisdem etiam causis contrarii prodeant effectus. Eorundem radorum vi & fœtent cadavera & florent rosæ, idem ignis qui lutum indurat, ceram & plumbum liquefacit. Igitur si distinctionem inter attributa divina in se sive quatenus in Deo sunt considerata, & inter eadem cum respectu ad connotata extra Deum apprehensa probe expendas, res omnis erit in vado.

§. 15. Ad secundum argumentum respondetur negando Consequentiam. Probationes quod concernit, illæ itidem admodum sunt infirmæ. Primum enim non sequitur: apud homines receptum est (certe receptum esse debet) ut alter alteri ex animo condonet, & omnium offensarum sine impetrata satisfactione obliviscatur: ergo etiam apud Deum istud obtinet. Homines enim conservi sunt fratrum suorum, Deus autem Dominus est & Judex. Jus autem puniendi, uti ex antea dictis claret, non est partis offensæ qualis, sed supremæ autoritatis. Deinde diversum etiam hominum genus omnino considerandum est. Alii enim sunt privati, alii in publica autoritate constituti. Privatos injuriam sibi illatam interdum sine satisfactione condonare posse non adeo repugno; non sic Judices & Magistratus, qui ex officio tenentur se vindices & custodes legum profiteri. Quamvis ergo ponamus, personæ privatæ licere de Jure suo recedere, quod plerumque est charitatis: personæ tamen publicæ renuntiare Juri suo, quod est regiminis, præsertim si renunciatio ista ullo modo cedat in detrimentum boni publici, æque non licet. Hinc patet etiam quid ad exemplum de Principibus hujus mundi depromptum reponi debeat. Ponamus eos nonnullorum delictorum gratiam facere posse, eorum tamen tantum poterunt, quæ juri naturali & divino non repugnant, quæque præterea jugulum salutis publicæ & quæ in hanc tendunt, sanctarum legum, non petunt. Sunt enim cu-

D

stodes

ftodes & vindices legum, non ut de iis disponant pro lūbitu, sed ut eas observari curent, juxta illud Theodosii L. IV. Cod. de Legib. & Constit. *digna vox est, majestate regnantis legibus alligatum se principem profiteri, adeo de auctoritate juris nostra pendet auctoritas.*

§. 16. Ex quibus intelligitur, quid sentiendum sit de trita ista regula, qua totum nititur argumentum secundum, scilicet hac, *quemlibet de jure suo posse cedere.* Si enim illa simpliciter sumatur, prorsus falsa est. Certe ita & magistratus subditos, & Parentes liberos, DEVS ipse creaturas solvere posset a debita sibi obedientia: nulla esset judiciorum criminalium in Republica adeo urgens necessitas, furta itidem, rapinæ & homicidia impunita dimitti posset, neque lex Julia de adulteris, aut Cornelia de sicariis, aut Pompeja de Parricidis, aut aliæ publicorum judiciorum leges aliam necessitatem, quam plane arbitrariam obtinerent. Quæ ipsa cum sint falsissima & æquitati naturali repugnent, utique sequitur, limitandum esse hoc pronunciatum juxta diversas juris acceptiones. Nimirum variæ dantur Juris species: aliud est Jus privatum, aliud publicum; aliud Jus quod voluptatem & utilitatem Domini tantum spectat, aliud quod honestatem & officium respicit, aliud dominicum, aliud judiciale; aliud liberum & positivum, aliud naturale. Illud quadantenus remitti posse ponam, at hoc non item. Cum ergo Deus circa pœnarum inflictionem non spectetur ut Dominus simpliciter, sed etiam ut Judex, cum etiam Jus puniendi peccata, ut super jus probatum est, non pendeat a nudo arbitrio divino, sed naturale & necessarium sit, quod fluit ab ipsa justitia & sanctitate ejus, sequitur DEVM de jure puniendi peccata nihil quicquam posse remittere.

§. 17. Tertium argumentum perperam separat, quæ erant conjungenda: potentiam nimirum & justitiam. Hoc enim

enim quæritur: an Deus possit id per Justitiam, seu an non Justitia lædatur eo ipso quo peccatum inultum dimittitur? Frustra ergo disputatur de potentia seorsim a justitia sumpta, quia Deus etsi omnia possit, nihil tamen potest quod sit injustum. Deinde, etsi contradictio non videatur formaliter in terminis istius propositionis, peccatum non punitur, occurrere eam tamen dicunt Viri eruditi virtualiter in re ipsa. Nam si potest Deus peccatum non velle punire, potest non odisse (odisse enim nihil aliud est quam velle ut puniatur) si potest peccatum non odisse, potest amare; si potest amare, potest velle non esse sanctus & justus, & sic potest se ipsum abnegare, & velle non esse Deus, quod implicat.

§. 18. Subsequatur nunc tertia Controversia: An Deus hominem innocentem æternis cruciatibus affligere possit? Ad quam etsi nemini saniorum non videatur esse negative respondendum, tamen sunt & reperiuntur forte adhuc hodie, qui nobis hac in parte adversantur. Ita enim, docente B. Dn. D. Johanne Tobia Majore, disp. de Jure divino imput. peccat. primum Adamit. toti generi humano cap. 1. §. 33. nonnulli ex Pontificiis asserere non dubitant, efficere posse Deum, ut homo justus nunquam beetur, nec fruatur æterna gloria; quin & Deum, quidlibet de nobis statuatur, jure facere suo, etiamsi perdat, damnet, in nihilum redigat, aut ad æternas pœnas dejiciat, ne beatis quidem exceptis, absque ulla injuriæ illatione, hoc nomine duntaxat, quia dominium absolute habet, atque est supremus hominum Dominus, auctor vitæ & mortis.

§. 19. Sed & M. Amyraldus, quemadmodum idem B. Major suggerit, tract. Gallico de prædestinat. cap. IV. disertis verbis asseverat: *Si Deus incontinenti, ex quo hominem creavit, ad inferos & orcum eum relegasset, nullo respectu habito ætationum ejus bonarum aut malarum, ad ostendendum supremum imperium, quod habet super omnes res creatas, nullis terminis ac*

limitibus circumscriptum; creatura esset in eo acquiescere, quippe quæ nihil aliud est, quam quod creator eam esse voluit, ideoque penes ipsum est, de jure absoluto pro lubitu de illa dispo- nere. Idem Pareus in Irenico, & Piscatorem sentire ostendit B. Hackspanius in notis Philol. Theol. Part. I. p. 233.

§. 20. Verum quantam crudelitatem spiret hæc Amyraldi sententia, vel ipse Petrus Molinæus fateri cogitur, quando in examine illius tractatus Amyraldini cap. IX. illam bonitati non minus quam justitiæ & libertati divinæ derogare concludit. *Ius absolutum*, dicit inter alia, *non extendi debet usque ad parrationem operum injustorum, neque Deus eo uti potest ad propriam paraturam odio prosequendam, creaturam justam & innocentem, eo quod præter injustam parrationem Deus hoc medio hominem malum redderet, & incitaret ad odium sui & recalcitrationem: quem etenim fructum perciperet homo ex amore Dei, si Deus eum odisset & æternum torqueret?*

§. 21. Ut autem officio meo rite defungar, operæ præ- tium duco paucis verbis præmonere, quo significatu no- men innocentis hoc loco a me capiatur. Scilicet creaturam innocentem in præsentem eam dico, quæ postquam ipsi le- ges a Deo fuere latæ, minis & promissis munitæ, quæ, in- quam, easdem perfecte servat, atque adeo ratione pœnæ ex transgressione legum istarum resultantis immerens habetur, id est quæ pœnam non meretur.

§. 22. Deinde vero ex superioribus repeto distinctio- nem inter potentiam divinam ἀπλῶς & absolute confide- ratam, & inter eandem modificate, quatenus virtutibus quasi limitatur, spectatam. Quæstio jam non est, an Deus per potentiam sine respectu ad virtutes acceptam homini innocenti possit æternos cruciatus imponere: illa enim potentia qualiter in Deo esse possit, fateor me ignorare, neque eo audaciæ prorumpo, ut quid Deus secundum il- lam agat, vel agere valeat, determinare velim. Sed de poten-

potentia ordinata & virtutibus temperata quaritur, & sic omnino negandum esse censeo, Deum juxta illam homini innocenti cruciatum infernalem posse inferre.

§. 23. Quod quidem ut alias rationes dudum a nostratibus affatim adductas nunc non urgeam, tali argumento stabilio: Quodcunque Jus cum aliis attributis divinis prorsus est impossibile, quin & adversa fronte cum iisdem pugnat, illud Deo minime est tribuendum. Jus inferendi cruciatus infernales homini innocenti cum attributis divinis aliis prorsus est impossibile, quin & adversa fronte cum iisdem pugnat. Ergo Jus inferendi cruciatus infernales homini innocenti Deo minime est tribuendum. Major tam manifesta est, ut de ejus veritate dubitari non possit, siquidem attributa divina a parte rei sunt ipsa divina essentia, in qua si pugnam esse statueris, quid aliud ages quam ut ipsi Deo destructionem inferas? Minor itidem constat. Quid enim a Justitia, Misericordia & bonitate Dei magis alienum vel cogitari posset! Nam sane hominis innocentis æterni cruciatus pœnæ loco sint necesse est. At vero qui pœnæ loco esse possunt, cum homo sit innocens legibusque sibi præscriptis morem gerat? siquidem pœna non nisi ex legum transgressione oritur. Sane qui dicit aliquem damnabilem esse, ille dicit esse in aliquo culpam & reatum propter quem is pœnam damnationis mereatur. Jam si statuas, creaturam innocentem damnabilem esse, concedere teneris, in creatura innocente esse culpam & reatum, propter quem damnationis pœnam incurrat, quo ipso an quidquam absurdius vel contradictione plenius esse possit, merito dubitaverim. Id certe exigere videtur Justitia Dei ut hominis officium suum continuo facientis conditio non reddatur postea deterior, quam erat antea. Redderetur autem deterior & longe deterrima, si æternis pœnis subjiceretur. Bonitati vero divinæ

hoc repugnare vel inde patet, quod illa bonis bene velit; & sicut peccatorem nequaquam velle punire implicat abnegationem Justitiæ; ita immerentem quocunq; cruciatu vexare abnegationem aliquam importat bonitatis, clementiæ & misericordiæ divinæ, quam in objectum miserabile, quale est suppliciiis destinatus, non ferri absurde dicitur.

§. 24. Probare equidem conatur Amyraldus in defenf. doct. C. (verba ejus suppeditante B. Danhauero in Hodomor. sp. C. p. 204. qui prolixissime hanc doctrinam Amyraldinam impugnat) *neque bonitatem, neque Justitiam prohibere, quo minus Deus possit creaturam, innocentem addicere cruciatibus æternis ἀνευθύνως. Possunt quidem, ait, prohibere quo minus id facere possit vel bene, hoc est, clementer, vel juste, hoc est ex illa virtute quæ vindicandis peccatis destinata est. Nam sane id si Deus faceret, neque clementer ageret cum creatura, neque illius peccatum puniret, quod nullum est. At si id faceret, tamen ἀνευθύνως esse deberet. Neque enim bonitas, neque justitia ὀπρεροχὴν illi adimit, quæ creaturam amet, quo minus cum eo jure contendere possit. Non bonitas; nam si bonitas id faceret: quanto melior esset, quisquis dignitate præcellit, tanto minus ejus potestas atque dignitas accederet ad summam, qualis a nobis supra descripta fuit. Esset autem certe sic pessime cum rebus humanis comparatum, si summi magistratus una bonitatem & ὀπρεροχὴν retinere non possent. Non justitia: ut enim prætereamus idem sequi incommodum, ut quanto justior & æqui retinentior judex esset, tanto magis ex fastigio τῆς ὀπρεροχῆς descenderet: justitia illa remuneratrix nulla, ut jam vidimus, in Deo esse potest, nisi ex pacto atque convento, quo Deus verbis conceptis sese ad remunerandum obstrinxit: Hic autem rem consideramus seposito omni tali pacto, & ut naturaliter sese habet duntaxat.*

§. 25. Verum cum hæc verba, satis obscure alias proposita, superstructa sint ruinoso illi ἀνευθύνως vel ἀνυπευθύνως

vias fundamento, qua alicui non licet quidem quicquam facere quod sit injustum, sed quæ tanta tamen est, ut si quidpiam tale quis faceret, neque de facto posset, neque de jure deberet in iudicium vocari, ut actionum suarum rationem redderet: nolo in his confutandis esse operosus. Sane competit creatori nostro exemptio & immunitas a reddenda ratione creaturæ; verum non talis, quæ injuriam aliquam implicet ac connotet, multo minus quæ speciem injustitiæ habeat, quale erat olim jus potestatis patriæ apud Romanos, vel ipsis legibus civilibus deinceps iterum abrogatum.

§. 26. Interim ne frustra adduxisse videar Amyraldi sententiam, non mea sed ipsius Danhaveri verba illis repono. Hic ergo circa præfens negotium ita scribit: *notamus hic* (in verbis Amyraldi) *insanam contradictionem, bonitas potest prohibere, ne Deus bene facere possit, non tamen ne possit ἀνευθύνας. Perinde ac si dicas: Immutabilitas Dei prohibere potest, ne Deus se ipsum vita privet, potest tamen ἀνευθύνας b. e. incorrigibiliter, inaccusabiliter, ἀπέμπτως. Notamus deinde ineptam comparisonem. In Deo ὑπεροχή & bonitas non differunt, at in homine discrepant: potest enim in homine esse bonitas sine ὑπεροχῇ & ὑπεροχῇ sine bonitate; hinc per majorem bonitatem non minuitur ejus majestas: at in Deo, in quo omnia ἐν ἑαυτῷ, non potest consistere bonitas cum ὑπεροχῇ non bona. Imperfectionis est in homine cum bonitas auctoritatem minuit; in Deo per naturæ ac excellentiam id fieri nequit. --- Tum falsam hypothesein, quasi nulla possit in Deo esse justitia, nisi vel remuneratrix vel vindicatrix.*

§. 27. Neque quicquam proficit Amyraldus, cum a potestate eripiendi beneficia hominibus Jus hoc Deo tribuere conatur. Age, dicit, *adimat Deus in fonti creaturæ omnia beneficia a se indulta, nonne judicabitur illud factum duriter atque inclementer? Quæro ergo utrum illa beneficii repetitio non sit ex justitia, quandoquidem non sit peccati vindican-*

di

di causa. Omnino necesse est, donationem bene & legitime factam rescindere nulla de causa, non esse injustum, quod nemo unquam Jurisconsultus concesserit. Vult enim Juris prudentia, donationes legitime factas ita ratas esse, ut postquam semel valuerunt non sit amplius in donatoris potestate eas reddere invalidas. Et tamen hoc Deus potest inculpabiliter, quidni & possit creaturam æternis mactare cruciatibus? Nihil, inquam, his proficit Doctor ille Salmuriensis. Quis enim non intelligit quantum differant debitum exigere a debitore, & debitorem solutioni paratum in crucem agere? Deus hominibus vitam dedit, omnibus usui, nullis mancipio. Ergo si revocat vitam, revocat quod suum est; si æternum cruciat immerentem, sævit. Vid. iterum B. Danhaverus p. 234. ubi insimul totum titulum Cod. de revocandis donationibus allegat, ut constet quod & donationes aliquibus in casibus rescindi queant.

§. 28. Sed cum tam formidabilis sit hæc opinio Amyraldi, ut paucorum admodum ipsorummet Reformatorum calculum hodie mereatur, quod facile ostendi posset, nisi intra officii terminos me continere mallet, quam vagari extra lineam, non est cur in ea excutienda ulterius defudare velim. Distinguunt interim nonnulli cruciatuum infernalium immissionem. Nam vel sempiterna potest esse, de qua hætenus; vel temporaria tantum, per æconomiam aliquam & exiguum spatium. De priorē recte negant, Deum illam usurpare posse, de posteriori concedunt hominem innocentem pœnis infernalibus, vel his æqualibus propemodum, affligi posse, moti Jobi & pientissimorum Martyrum exemplis. Nam testibus Jctis, quæ breve ad tempus fiunt per dispensationem aliquam, ne fieri quidem videntur. E. gr. posse, dicunt, summum Magistratum egregium civem ad exiguum tempus durissimis laboribus exercere idonea de causa, ut tamen inde non sequatur,
eundem

eundem sapientem & iustum magistratum ad æternos carceres vel pistrinum in fontem condemnare valere. Videri etiam hic potest, si ad manus est, Curcellæus in vindiciis. Cap. VI.

§. 29. Accedo ad quartam controversiam: An Deo competat potestas contrarias Juri naturæ leges homini imperandi? Ubi quid mea ferat sententia non erit difficile hariolatu. Dixi in superiori sectione, Deum creando hominem animal rationale, non potuisse aliter facere, quam ut legem naturæ menti ipsius inscriberet. Quibus ita habentibus, negativa quæstionis omnino erit eligenda.

§. 30. Non desunt tamen, qui omne jus iustumque ab unico & nudo Dei arbitrio derivantes asserunt, legem naturæ non quia id necesse erat, sed quia Deo sic placuit cordibus hominum esse inscriptam, adeoque nullam actionem sua natura vel bonam vel malam esse: divinam voluntatem omnis rectitudinis & obliquitatis regulam constitui debere: nullum esse scelus, impietatem nullam, quam Deus non possit velle & mandare, posse Deum æque sui odium quam amorem præcipere, posse aliam legem, cordibus hominum inhærenti contrariam, ingenerare.

§. 31. Quæ opinio, uti nemini non rectius sentienti horrorem inquit, ita vix poterit simpliciiori persuaderi ut credat tam blasphemias voces ab ullo hominum eructari posse. Et tamen detestandi hujus dogmatis Patronos reperimus. Ne enim jam nunc producam Fausti Socini assecclas, qui usque adeo nihil per se iustum esse clamant, ut nisi de novo per Salvatorem esset promulgatum, amandum esse proximum, aut non pejerandum, non furandum, nihil horum homines nunc stringeret, ceu videre est apud Nobiliss. Coringium disp. de jure §. XLI; saltem quæ Szydlovii cerebrum monstraenixum est, lubet attendere.

§. 32. Hic enim supposito nihil dari antecedenter bo-

E

num

num ad voluntatem divinam in vindic. quæst. difficil cap. 8. defendere non verecundatur; Deum blasphemiam, mendacium, & quid non scelerum? imperare posse. *Quæritur* inquit cap. 8. *an detur aliquid antecedenter bonum ad voluntatem Dei? sive an res sint ideo justæ & bonæ quia Deus eas vult, vel an ideo eas velit, quia justæ sunt.* Negatur dari aliquid antecedenter bonum ad voluntatem Dei, & affirmatur, res ideo esse justas & bonas, quia eas Deus vult, non contra ideo eas velle Deum quia justæ & bonæ sunt. Et paulo post: *Objiciet quispiam: Ergo sic Deus poterit imperare blasphemiam, perjurium, mendacium &c. quod absurdum videtur? Resp. enim in illis, quæ ad cultum Dei pertinent, nullo alio modo homines obligantur, nisi ex præcepto & per legem. Si enim Deus voluisset, tunc potuisset alium cultum vel modum cultus jubere sibi præstari. Itaque etiam ista, quæ ad cultum suum pertinent, Deus liberrime præcipit, & quidem ita ut potuerit aliter præcepisse, ideoque ista ex hypotesi tantum mandati divini sunt vitia --- Certum igitur est Deum potuisse contrarium modum cultus sibi jubere præstari, cap. 9. vero tanquam e pergula hac de re concionatur: *Objicitur, inquit, naturæ divinæ simpliciter repugnare ut se ipsam abneget, ideoque ex vi propositionis hujus sequi Deum non posse præcipere ut non colatur nec invocetur. Resp. Negamus consequentiam. Aliud enim est Deum seipsum abnegare, aliud Deum posse præcipere ut abnegetur. Nam prius Deum non posse facere quin evertat naturam suam certum est: posterius vero potest facere.* Hæc Szydlovius, cui adstipulari videtur Rhetorfortes, Professor Andreapolit. disp. Schol. de Provid. Dei cap. 22.*

§. 33. Non autem nunc enarrabo prolixè, quam paucos hæc sententiâ inveniat hodie defensores, minus multo in recensendis absurditatibus, quibus tota scatet, occupabor, cum abunde id fecerint Gisb. Voëtius disp. de Justit. & jure Dei p. 367. Moses Amyraldus in præfat. specim. anim. advers

advers. p. 95. qui absurditatibus, (sicut B. Danhawerus, ex quo etiam verba Szydlovii adducta excerpti, loqui amat p. 10. II.) ut lapidibus hanc opinionem e civitate Ecclesiae expellunt: sed caput rei aggrediar, & unam vel alteram Szydlovii rationem expendam.

§. 34. Liceat ergo mihi iterum adire sup. citatam disputationem B. Joh. Tob. Majoris, atque exinde quaedam in rem praesentem depromere. Observata autem ille cap. 1. §. 12. Jus, dominium ac potestatem Dei dupliciter summam dici. Primum absolute & simpliciter, qua quis alias pro nuda voluntate, sine omni respectu boni vel mali, honestatis vel turpitudinis, agit quod placet, nulla alia de causa, quam quod ita placet: quomodo summam Jus summam saepe injuriam esse diverbio dicatur. Talis Juris ratio si in divina natura locum haberet, si nimirum ex absoluto Dei beneplacito, citra ullam bonitatis vel malitiae actionum hominum praevisionem vel considerationem, fuisset, non inficiaret, Deum posse creaturae rationali, alias atque alias non modo, sed & discrepantes, sed & divinae suae bonitati & justitiae contrarias leges imponere, adeo ut nihil impediret, quo minus, si placeret, Deus ipsi posset acerrimum sui odium mandare, utpote quod tum remota sic omnimoda divini beneplaciti absolutissimi modificatione ac restrictione, odium Dei res pia, actio bona, cultusque sanctus esset. Sed cum hoc Justitiae ac sanctitati divinae eo usque adversetur, ut ne quidem sine summa contumelia & blasphemia de Deo, bonitatis fonte, cogitari vel concipi possit, sentiendam est hac in parte cum Mose Amyraldo, qui disp. Theol. II. illud usque adeo alienum a religione & ab ipsa natura abhorrens esse existimat, ut ad illius solum cogitationem animus cohorrescere debeat.

§. 35. Quare secundo potestas aliqua summa dici potest modificare. Et hanc modificate summam potestatem

tem etiam Deo tribuo, quatenus summum & absolutum ejus dominium a bonitate & justitia ejus, ut sic dicam, limitatur, eo quod legum hominibus præscriptarum ratio & fundamentum ex ipsa ac rerum legumque natura & conditione est accersendum, quæ si ab ipsa natura rationali, qua tali, discrepant, injustæ ac malæ, sin conveniunt & congruunt, bonæ ac justæ evadunt.

§. 36. Sicuti jam naturæ ac essentiæ rerum immutabiles sunt, ita ut Deus eas pro beneplacito suo immutare non possit, citra totius naturæ everfionem & alterius novæ prorsus productionem: Ita nec res intrinsece malæ a divina voluntate & arbitrio ita dependent, ut pro libero Dei beneplacito malitiam exuere & intrinsece bonæ fieri possint: quin potius hoc modo concepta rerum & actionum humanarum a voluntate divina dependentia, summam in creatore ipso imperfectionem argueret, imo justitiæ divinæ palam adversaretur.

§. 37. Ex quibus colligitur, falsum esse Szydlovii suppositum, *omne jus justumque a nuda Dei voluntate esse arcesendum.* Cujus absurditatem ut nonnulli aperius afferant, statuunt, si contingere posset casus, quo nulla foret lex divina extrinsece promulgata indicans v.g. mendatium malum esse & prohibitum, nihilominus illud fore peccatum: quod ad rationem peccati sufficiat esse contra naturæ dictamen. Ita sentiunt Franc. de Oviedo in Thomam Tr. IV. contr. IV. p. 1. n. 7. Svarez. disp. VII. de malitia §. 1. n. 10. Vasquez. in 1. 2. disp. XCVII. c. III. n. 8. & alii.

§. 38. Quo ipso laudati Autores indicant obligationem ex Jure naturali proficiscentem non esse petendam a mero Dei arbitrio. Si enim mente præscindas omne externum imperium, manet nihilominus ingenitum lumen, quod malum judicat damnandum & fugiendum. Cum autem obligationis causa postuletur, quare scilicet Jus naturale, cum a voluntate sive arbitrio Dei non deducatur, vim ha-

bea

beat obligandi, in objectio ipso latere eam censent Morali-
um Doctores.

§. 39. Rationes a Szydlovio adductæ leviores sunt
quam ut quidquam iis obtineatur. Quod enim dicit, Deum
*sui esse juris & dominum omnium, potestatem ejus absolutam,
illimitatam, nec ullis legum terminis circumscriptam,* per id
non evincitur quod evincendum erat. Est enim in Deo
lex æterna, contra quam si ageret, contra ipsam justitiam
suam atque adeo contra seipsum ageret. Scite Vasquez.
Disp. CLXXIX. q. 100. c. 2. art. 8. *Si Deus cum summa justitia
sit, illud quod injustum & malum suapte natura est tanquam
bonum concederet, justitiam negaret, ac proinde seipsum, dicens
bonum malum, & malum bonum.*

§. 40. Ad alteram rationem, quam adfert Szydlovius
pro sua sententia, nimirum quod lex divina consensu o-
mnium dicatur norma & regula actionum bonarum & ma-
larum, resp. exinde minime sequi nihil sua natura justum
esse, atque adeo Deum contrarias juri naturæ leges homini
imperare posse. Lex enim Dei foras promulgata ostendit
saltem quodammodo, quid justum quidve injustum sit,
ipsam vero moralem justitiam rebus non infundit. Certe si
a sola expressa legē dependeret hoc, quod aliquid justum
esset, quomodo illi qui lege scripta carent, & sola recta ra-
tione utuntur, discernere possent quid faciendum quidve
omittendum sit? cum tamen Apostolus expresse innuat,
gentiles natura duce, cognovisse non tantum quid hone-
stum, quid turpe, sed etiam quod peccata pœna digna sint?
Alias Szydlovii ratiunculas ad ipsam ventilationem rejicio.

§. 41. Quinta controversia, cujus enodationem index
promittit, est: an Deo competat jus innocentem pro no-
cente substituendi, & pœnas huic debitas illi irrogandi? E-
quidem, si hominum historias inspiciamus, substitutionem
infontis pro facinoroso non infrequentem fuisse depre-

hendemus. Apud Perfes olim ob unius noxam periisse totam propinquitatem, prodidit Marcellius. Apud Macedonas devota fuisse capita eorum, qui sanguine perduelles contingerent, observavit Curtius lib. 6. & in Græciæ civitatibus morem fuisse, cum tyrannis tyrannorum liberos occidi, testatur Halicarnass. lib. 8. & Tullius ad Brutum Epist. 15. Ut mittam Decios, Codros, Curtios & alios pro fuorum salute necem sine culpa subeuntes: ut nihil dicam de Zaleuco, legislatore Locrensi, qui pro altera parte pœnæ filio suo debitæ ultro venit, atque ita æquitatis admirabili temperamento se inter misericordem Patrem & legislatorem iustum partiri voluit, sicut Val. Max. ait lib. 6. cap. 5. quis ignorat jus occidendorum obsidum tot populis usitatum fuisse, cum nimirum eorum principales, ut dicuntur, a promissis deficiebant? Sic Theffali olim ducentos quinquaginta obfides interfecerunt, referente Plutarcho; Romani trecentos Volscos securi percusserunt, ut notavit Halicar lib. 6. Notum etiam est, in suppliciis capitalibus vades nonnunquam plecti solitos fuisse, qui propterea ἀντίφοροι dicti sunt.

§. 42. Verum an hæc omnia juri naturæ convenient vel non; meum non est nunc inquirere. In primis autem arridet illud Senecæ, *nihil iniquius quam aliquem paterni odii hæredem ferri*. Sic cum apud Athenienses Lycurgi liberi ad pœnas deposcerentur propter paternum crimen, res injustissima visa est Demostheni. Et cum optimæ reip. formam & ideam expressurus esset Plato, hanc legem nequaquam omitti voluit, de non transferendis in liberos paternorum criminum pœnis lib. 9. de legibus.

§. 43. Annon vero Deus pro eminentissimo illo in homines jure pœnas alteri debitas in alium & quidem innocentem transferre queat, haud omni videtur carere dubitatione. Tametsi enim expressa sit Numinis nostri apud Prophetam. vox, *non portaturum filium iniquitatem Patris sui,*

sui, neque Patrem portaturum iniquitatem filii, sed potius animam, quæ peccaverit, morituram esse; nemini tamen itidem ignotum esse poterit, quid diferte circa Decalogum dicat Deus, se visitaturum iniquitatem Parentum in tertiam & quartam generationem. Exempla etiam, quæ nobis contraria esse videntur, in sacris abunde prostant. Sic ob factum Chami execrationi subjicitur Chanaan: ob factum Saulis suspenduntur filii & nepotes ejus, Deo id approbante: ob factum Davidis pereunt septuaginta hominum millia.

§. 44. Verum enim vero absit ut justissimo Deo, fonti & Autori omnis justitiæ tantam injustitiæ maculam adscribamus, ut eum innocentem pro fonte plectere statuamus. Certe vel ipsa formalis ratio pænæ diversum suadet: siquidem pæna, definiente Grotio lib. II. de I. B. & Pac. cap. XX. n. i. est malum passionis, quod infligitur ob malum actionis. Qui igitur innocens est, sive qui nihil mali egit, illum mali quid pati iniquum est. Cum autem æterna veritas sibi adversa esse nequeat, & ne vel illa lex divina quæ in Exodo habetur, vel exempla quæ attuli, huic sententiæ obesse videantur, breviter verum tum legis illius, tum exemplorum sensum ab aliis alibi explicatum huc applicare annitur. Non enim opus esse existimo singulas singulorum Doctorum & Interpretum vel referre vel expendere opiniones, qui & verum verborum sensum scrutantur, & conciliationem eorum instituere tentant. Sufficiat ea notasse quæ ad præsentis rei elucidationem faciunt.

§. 45. Quod ut fiat, insistam vestigiis Nobiliss. Dn. D. Eichelii tract. sup. cit. §. XV. qui existimat, severam illam in Exodo factam Dei nostri minitacionem, sicut ex antecedentibus & consequentibus demonstraverat Vir summus, tantum de Idololatria & affinibus criminibus ad-

versus

versus divinam Majestatem commissis, intelligendam esse, & ad alia delicta plane non posse trahi; non aliter ac Romana lex perduellium liberis famam & bona auferens ad nullum aliud delictum extendenda est. Ut adeo genuinus sensus illius legis huc redeat, Deum Ter. Opt. Max. crimen Idololatrias in parentum Idololatrarum filiis esse visitaturum. An vero Parentes tantum, qui Idololatræ sunt, puniendi sint, an simul filii innocentes, & verum cultum divinum retinentes pœnæ subjugandi; an saltem hi impunitis parentibus luere debeant, adeo clare ex verbis legis non apparet.

§. 46. Sed res salva est. Parentes quidem ob peccata, quæ commiserunt, a Deo puniendos esse evidenter ex textu liquet. Pœnam autem quam parentes commiserunt, in filios transferri dici nequit. Hoc enim nihil esset injustius, adeoque sine insigni impietate Deo justissimo attribui non posset. Et quanquam prima fronte tum verba legis tum exempla allata videantur confirmare, fieri posse, ut quis ob superioris delicta pœna a Deo afficiatur, pœna tamen illa proprie & stricte talis non erit. Aut enim filii sive subditi imitantur peccata parentum seu Principum, affinesque atque socii culpæ fuerunt, aut ab iniquitate Patrum & superiorum recedunt, seque immunes præstant ab eorum sceleribus. Si illud, non mirum est ipsos æquali supplicio conjungi: nam qui culpæ *συμμέτοχ* & affinis fuit, eundem pœnæ socium esse injustum haberi nequit. Si alieni sunt a flagitiis parentum & Magistratum, perque eorum vestigia non eunt, & nihilominus propter impietatem parentum videntur tolli, damnum utcunque illud dici posse existimat Dn. Eichelius, sed pœnam minime. Scilicet in eos Deus pro summo suo quod in homines habet dominii jure statuere potest quicquid sanctitati suæ conveniens est. Bene Episcopus lib. IV. Inst. Theol. Sect.

IV de Provid. Dei cap. 8. *Aliud est occidere, aliud punire. Providentiæ, ordinis & justitiæ ratio non permittit, ut innocens puniatur: permittit tamen ut occidatur ab eo, qui summum jus vitæ & necis in eum habet. Ratio manifesta est. Occidere est actus domini absoluti, in quo nulla esse potest injuria. Qui enim vitam tanquam dominus dedit, is eam jure suo adimere potest. Recte ille: Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu. Punire est actus judicii, in quo injuria manifesta locum habere potest, quando pœna peccantem egreditur. Pœna enim & culpa sunt relata. Pœna itaque quæ fit sine culpa ejus propria qui punitur, injusta est. Per eam enim relatum ponitur sine correlato, & suum cuique non tribuitur.*

§. 47. Patet ergo divinam illam de idololatria promulgatam legem parentibus sceleratis quidem pœnam denunciare, non vero liberis nisi & ipsi criminis fuerint focii. Ad do verba Grotii lib. 2. de I. B. & Pac. cap. 21. §. 14. *Deus quidem in lege Hebræorum data paternam impietatem in posteris se vindictarum ministrantur: Sed ipse jus Dominii plenissimum habet, ut in res nostras ita & in vitam nostram, ut munus suum, quod sine ulla causa & quovis tempore auferre cujusvis quando vult potest. Igitur si morte violenta & immatura rapit liberos Acanis, Saulis, Ieroboami, Achabi, in ipsos jure Dominii non pœna utitur, sed eodem facto gravius punit parentes.* Prolixe hanc controversiam excussit Episcopus loc. cit. qui etiam legem qua illis, quorum parentes crimen perduellionis aut Majestatis commiserunt, quantumvis innoxii plectuntur, aut saltem æterna egestate puniuntur, ita ut mors eis sit solatium & vita suplicium, qui, inquam, legem illam barbaricam, & non nisi a Tyrannis, aut parasitis eorum latam, dicitur legi divinæ repugnantem, appellat. Ego ad ductum Episcopi multa egregia in hanc rem proferre possem; sed cum dissertatio præter meam expectationem crescat, non licebit mihi jam hic esse diffusiori.

§. 48. Vnicum tamen, antequam discedam, adhuc monendum duco. Nimirum videri posset opinio hæc mea repugnare decantatæ Theologorum sententiæ, qua asseritur, Christum omnium innocentissimum pœnis ab hominibus peccatoribus communeritis a Deo mulctatum esse. Sed hic nodus etiam solutus erit, si distinguas inter materiale & formale pœnæ. Materiale pœnæ est malum passionis, definiente Grotio cit. loc. sed formale est respectus ad delictum proprium, quod Grotius malum actionis appellat. Verum jam est & ex terminis notum, pœnam formaliter & proprie ita dictam innocenti repugnare. Interim tamen materiale pœnæ sc. malum passionis quod delinquenti subeundum erat, salva justitia infligi potest innocenti, postquam proprio motu insons ad istud sufferendum sese obtulit, & legitimo pacto seu promisso quasi obstrinxit, quod exemplis quam plurimis declarari posset nisi id per se manifestum foret.

§. 49. Dixi: postquam proprio motu insons ad istud sufferendum sese obtulit, & legitimo pacto seu promisso quasi obstrinxit: Siquidem hoc omnino necessarium est. Primum enim cogi & iuratus compelli insons non potest, in quantum insons est, ut fontis loco quidquam patiat. Deinde pactum quoque seu promissum interveniat requiritur, quod tum quidem legitimum ratumque esse existimatur, si tam innocens potestatem promittendi & malum fontis in se derivandi habeat, quam pars læsa vicissim promissionem in fontis acceptet, & propter ipsius satisfactionem se fontem impunitate donaturum consentiat.

§. 50. Quod ergo Salvatorem nostrum attinet, illum dicimus cum Dnn. Theologis, non pœnam formaliter ita dictam dependisse, utpote qui ab omni peccato fuit immunis, sed tantummodo materiale pœnæ, id est, malum passionis pro nobis sustinuisse, idque sponte sua, legitimi que pacti & promissi interventu, ut qui cum verus una Deus esset,
a se-

a seipso vitæ suæ pro nobis devovendæ absolutam potestatem habuit, Deo quoque Patre ad satisfactionem ipsius pro peccatis nostris acceptandam paratissimo.

§. 51. Transeo ad Sextam controversiam: quo Iure Deus peccatum Protoplastorum imputare possit toti generi humano? Equidem scio Philosophum qua talem peccatum Adami ejusque in universum hominum genus propagationem distincte non intelligere. Neque id me latet, si velim imputationis peccati Adamitici veritatem ex Scriptura Sacra, & orthodoxa Theologia demum confirmare, me in alieno choro pedem esse positurum. Nihilominus tñ. meæ hæctenus propositæ de jure Dei assertiones ita sunt explicandæ mihi & limitandæ, ut sanis Theologorum hypothesibus non repugnent. Circa hanc quæstionem g. suppono ex Sacris totam historiam lapsus Adamitici, suppono itidem lapsus istius imputationem factam toti nostro generi. Et saltem quomodo illa imputatio stare cum nostris assertionibus possit inquirō.

§. 52. Communiter Autores ostensuri jure nobis imputari lapsum Adami, cum primis de eo sunt solliciti, ut evincant, peccatum illud Protoplastorum inesse posteris quodammodo voluntate propria, quod ad rationem peccati necessarium esse tantum non omnes confitentur. Dicunt autem defectum justitiæ originalis imputari nobis voluntate interpretativa? quia videlicet voluntas primorum parentum interpretative & per fictionem Juris erat liberorum & posterorum carnali modo ex ipsis propagandorum voluntas. Nimirum cum Adam Parens esset ac radix totius generis humani, ejusque personam ipse unus gereret, omnes posterorum voluntates collocatæ censentur in ejus unius voluntate, plane sicut adhuc hodie, quod Pater in contractu aliquo v.c. in contractu debiti, pro se & filiis suis promittit, id filii etiam parvuli omnes promississe judicantur. Pec-

cante itaque Adamo in iudicio Dei peccasse censit sunt omnes posterij; & quæ bona in sua persona amisit, quæ in vicem mala incurrit Adamus, illa bona omnia etiam amiserunt & mala ista omnia incurrerunt ejus posterij. Clara hæc in rem sunt verba B. Slevogti disp. de causa morali. §. 32. *Deus quum Adamum constituisset ut esset caput & Autor totius generis humani, simul quoque in illius voluntate omnium posterorum voluntatem collocavit, ita ut ratione hujus voluntas Adami morali quadam ratione esset voluntas omnium ejus posterorum.* Vid. omnino Samuel Maresius Exam. Dissert. II. Curcellæanæ fere per totum.

§. 53. Verum quot & quantæ hic suboriantur difficultates, tacere malo quam eloqui. Vidit illas si quisquam Vir Maxime Reverendus atque Magnificus. Dn. D. Petrus Musæus, meus quondam in Academia Julia Præceptor longe felicissimus, in Locis Theol. M. S. loc. de peccato cap. II. de peccato originis. Quamobrem tamen satis ad fidem nostram esse dicat, quod Scriptura hujusmodi ἀνομιάν, quæ nobis ab ortu inest, peccatum appellat, & quidem hujusmodi peccatum, ob quod natura sumus filii iræ, licet quomodo sit peccatum, cum tamen non voluntate nostra nobis inesse videatur, tacente Scriptura, explicare non possumus: quamobrem, inquam, ut eo melius adversariorum retundatur perveracia, modum aliquem clariorem statui posse existimat, quo asseramus, justitiæ originalis carentiam in posteris etiam Adami esse propria ipsorum voluntate voluntariam, adeoque jure illis lapsum Adami imputari. Ego nihil præter officium me facturum esse confido, si tanti Viri vestigia legam, & quæ mens ejus sit, paucis exponam.

§. 54. Tria autem præsupponit Vir summus. I. carentiam justitiæ originalis in Adamo eatenus fuisse voluntariam, quatenus ex voluntaria transgressione legis fuerit

erit orta. Si itaque & in posteris ejus debeat cenferi voluntaria, probandum id cum primis esse, dicit, in illis quoque præsupponi aliquod actuale peccatum. 2. aliquid dici voluntarium vel formaliter vel virtualiter. Formaliter voluntarium describit, quod id tantum fit, quod aliquis jam actu ipso vult & intendit, sive in se & sic directe, sive in alio adeoque indirecte velit & intendat. Virtualiter autem voluntarium, quod præsens quidem attinet, id vocat, quod aliquis pro tempore neque directe vult neque indirecte, quia ipse forte nondum existit, aut quia nondum sunt hæ vel illæ circumstantiæ; vellet autem si pro isto tempore existeret, aut si hæ vel illæ circumstantiæ essent. 3. Deum ab æterno etiam præscire ea contingentia, quæ futura sunt sub conditione, sive aliquando revera fiant adimpleta conditione, sive ob defectum conditionis nunquam fiant; essent autem futura si conditio aliquando adimpleretur.

§. 55. Quibus præsuppositis, neque ab analogia fidei neque a naturali ratione alienum esse, sed ad retundendos adversarios facere existimat, si dicamus, hodie ideo generari posteros Adami sine justitia originali, quia & illi rei sunt transgressionis legis Dei saltem virtuali voluntate, & secundum præsentiam Dei, quam mediam scientiam Scholastici appellant. Nempe præscivit Deus, si omnes homines, quotquot unquam fuerunt, & adhuc futuri sunt, una cum Adamo & Eva extraordinaria potentia essent producti, sicut omnes simul conditi & producti sunt Angeli; tum omnes cum Adamo & Eva abufuros libero arbitrio, & legem Dei transgressuros fuisse, sive eodem modo & eadem occasione, qua primi parentes transgressi sunt, puta quando singulis a serpente eadem peccandi materia fuisset objecta; sive alio aliquo soli Deo cognito modo.

§. 56. Atque ut hoc pateat clarius, ulterius notat futura

contingentia sub conditione esse in duplici differentia. 1. quædam aliquando revera sunt futura, quia reipsa aliquando adimplebitur & futura est conditio a qua dependent. 2. quædam vero nunquam sunt futura, quia nunquam adimplebitur aut futura est conditio a qua dependent; essent autem revera futura, si quando futura esset conditio. Nunc ita argumentatur: Si Deus præscit futura contingentia sub conditione, quæ prioris generis sunt, & ea, cum a lege discrepant, ad culpam & peccatum imputat, utique præscit etiam quæ posterioris generis sunt & recte ad culpam & peccatum imputat. Atqui verum est antecedens. Ergo & consequens. Minorem probat ita: Præscivit DEVS, si hominem concederet cum libero arbitrio ad bonum & malum, & ipsi legem positivam de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali poneret, sicque serpenti permitteret, ut svasoria illa verba, quæ Evæ dixit, diceret; tum non modo Evam deceptum iri, sed & marito peccandi causam fore. Non itaque culpa peccandi in Deum recidit, tanquam qui conditiones istas, sub quibus peccatum prævidit esse futurum, debuisset impedire, ne fierent; sed in homines, qui positis quantumvis illis conditionibus adhuc potuissent abstinere a peccato, si voluissent. Idem ergo de posteris Adami judicium est. Nempe præscivit & hic Deus, si omnes unâ cum Adamo & Eva in Justitia & sanctitate fuissent producti, & eadem singulis, quæ primis parentibus peccandi materia objecta fuisset, tum ad vnum omnes libero arbitrio abufuros fuisse. Id quod sufficere videtur, ut omnibus posteris Adami peccatum aliquod actuale imputetur, tanquam quod propria voluntate, non quidem actuali seu formali, quia nunquam in rem abiit, sed saltem virtuali ipsis competat, & ob quod justitia originali merito careant. Possem ulterius recensere, qua ratione hanc suam hypothesein ab objectionibus, quæ ullam speciem habere possunt, vindicet Vir celeberrimus; sed cum verear, ne mihi vitio vertatur alienos labores pluribus describere, paratus ero in ipso congressu, si opus fuerit, illa communicare. Ea vero quæ adduxi, pro asserendo Jure DEI imputandi peccatum Protoplastorum toti generi humano omnino videntur sufficere.

§. 57. Atque ita eluctatus mihi esse videor ex iis quæ majoris sunt momenti in hac dissertatione. Fructus erit laboris, ut jam liceat vel levi brachio, nec lineis adeo multis septimam controversiam, an Deus obligare hominem possit ad impossibilia evolvere. Ad hanc vero quin mecum affirmative responsurus sis, nullus dubito, nec exempla, quæ rem evincant, longe erunt petenda. Ita sane per præceptum divinum adstringimur omnes ad observationem & fugam earum rerum, quæ Decalogo vel jubentur vel interdiciuntur, quas si ab ullo homine perfecte præstari posse existimes, ipsi Scripturæ sacre refragaberis. Ut autem verus assertionis meæ sensus appareat, neve in Deum aliqua injuriæ labes redundet, quodam distinctionis temperamento res erit expedienda. Notandum ergo est, quod aliquid impossibile dici queat dupliciter: 1. absolute, quod nullo modo fieri potest, sed contradictionem implicat, ut hominem esse lapidem. 2. per accidens, quod scilicet per se non est impossibile, redditur tamen impossibile propter aliquem eventum. Ita v. gr. impossibile est Adamum non peccasse scilicet per accidens, in se enim contradictionem non implicat Adamum non peccasse, nihilominus tamen propter istum eventum, quod scilicet actu peccavit, jam impossibile est.

§. 58. Cum dico Deum habere jus obligandi homines ad impossibile, non intelligo impossibile absolute tale: illud enim ita est comparatum, ut nullo tempore, per nullam potentiam fieri queat; sed impossibile per accidens. Quamvis enim alias de lege communi præcepta supponant vires & facultatem præstandi id, quod præcipitur, tamen si contingat, ut quis sua culpa perdat facultatem, id ipsum quod præcipitur præstandi, fieri solet, ut etiam præcepto obligetur quispiam ad id, quod in ejus potestate non est.

§. 59. Declarabo rem exemplo e rebus humanis petito. Sit v. gr. civitas, quæ a principe aliquo ingentem pecuniæ summam commodato acceperit, redacta autem sit ad extremam paupertatem & quidem sua culpa: hic solutio pecuniæ civitati isti est impossibilis per accidens, & propter hunc eventum, quod scilicet sua culpa in paupertatem dejecta sit. At vero licet hæc solutio

lutio impossibilis fit per accidens, ad eam tamen obligatur civitas.

§. 60. Alio non dissimili exemplo utebatur non ita pridem ὁ παῖς Dn. D. Johannes Musæus, Patronus ac Præceptor meus filiali observantia devenerandus in quæst. de Impletionem legis explicationi Decalogi annexa. Contingat, inquit, ut quis potando contrahat sibi habitum ebriositatis, & eo deveniat tandem, ut a computationibus & ebrietate abstinere non amplius possit. Recte ille, prudenter & sine ulla legislatoris tyrannide, aut insimulatione tyrannidis obligari potest præcepto ad abstinendum a computationibus & ebrietate. Quod enim abstinere ab ea non possit, ipsius culpa contigit, & proinde cum ipse ille sibi facultatem sobrie vivendi ademerit, vel sua culpa eam perdidit, recte obligatur ad id, quod quamvis præstare nunc non possit, præstare tamen potuisset, si absque ejus culpa fuisset.

§. 61. Perinde in præsentis res habet. Lex Dei v. gr. non concupisces, poterat impleri ab homine etiam quoad omnes concupiscentiæ motus, absque ullo defectu in statu primævo. Quod autem nunc in ejus potestate non sit subitaneos concupiscentiæ motus vitare, vel illis carere, ipsius culpa factum est. Quia enim Protoplasti, & cum his posteri omnes, libera voluntate legem Dei transgressi sunt, & justitiam originalem concretam perdidit, factum hinc est ut ipsi in causa fuerint, cur motus concupiscentiæ inordinatos vitare non possint, a quibus proinde tam potuit a Deo sine insimulatione tyrannidis exigi omnimoda affectuum & concupiscentiæ motuum conformitas cum lege, quam nunc sobrietas & abstinencia ab ebrietate exigere potest ab homine, qui computationibus eo usque perdidit bonas vires, ut ne possit quidem sibi ab ebrietate temperare.

§. 62. Atque hæc sunt quæ de Jure Dei in homines afferre hæc vice constitueram. Quod si desiderio tuo, Benevole lector, non ex asse satisfacero, cogitabis rogo mecum, quam arduum sit in tam lubrica, & satis invia via inoffenso pede progredi, cum primis homini nondum maturo ingenio instructo.

Deo vero justissimo & potentissimo, cui principium dicavi, esto &

F I N I S.

ED - Beg 2002

01 A 6739

ULB Halle
003 096 890
ULB Sachsen-Anhalt
Ausschneiden



Datum: 2008

Sb.

D.

Reh. ✓

Mi. ~~46~~





DISSERTAT
DE
I V R E
I N H O M

A VENERANDO P
IN ALMA S

ANNO AERAE CHRISTIANA
ELABORATAM ET DISQVISITIO

P R A E S

SVMMME VENERANDO ATQVE EXC

DN. PHILIPPO

SS. THEOL. DOCTORE
CONSIL. DVICAL. SAXON. ECCLIAE
ET PRAELAT. AD B. VIRG. M
IN ACAD. IENENSI PROF

DOMINO PATRONO SVO FILIAL

DIE XXVI. FEBRVAR

I N A V D I T O R I

VENTILATIONI PVBLICAE

S A M V E L R i t t n e r

PHILOSOPH. ST

RECUSA, A.

